

nec sine his potest quicquam magnum esse vel preclarum. divitiae enim et potentia ac cetera talia fortune ^(a) dona, etsi multitudinis indocte iudicio summis annumerentur bonis, imo vero sola bona credantur, vere tamen nichil sunt ad virtutem. quae quidem si
 5 bonis ingeniis applicentur ^(b) vel accedant, ornamenta sunt virtutis, sin malis, pestifera sunt instrumenta nequitiæ. quamobrem, ut nec divitiæ magnum faciunt, ita nec est impedimento paupertas, quominus vir quispiam in magnis sit aut ut non sit inter amicos habendus. animus enim ^(c) est qui homines metitur; virtus quæ
 10 magnos efficit. ad amicitiam autem satis est similitudo, ratio studii et paritas animorum. ego autem, cum me amicum appellem, ita accipi volo quod huic nomini subest, ut multa virtutis pars sit, imo vero magna sit virtus, velle se quenpiam esse virtuosum. quo desiderio affectum me ita gaudeo ut et vehementer glorier
 15 magneque michi sit spei argumentum, quoniam maxima est, ut aiunt, sanitatis pars velle sanari. ceterum, ut ad summam illam perveniatur, studio atque exercitatione, quantum ferre valero, consecuturum me non despero. in amicitia autem nostra coeunda, hec optima nobis disciplina servata est, ut neque tu humilitatem
 20 meam fastidieris neque ego splendorem tuum sim veritus. quæ res ad omnem coniunctionem necessitudinemque hominum et ineundam et conservandam obesse plurimum solent. nobis vero, quæ optima ratio initium ad benivolentiam dedit, eadem amicitiam in eternum servabit. postremo, antiquitatis cognoscende ^(d) studium,
 25 quod delectabilissimum est, cuiusque quanti sit fructus ad unum epistola tua plane comprehensum est, tanti fiat ^(e) ut virtutis semper et desiderium et amor precipuus nobis sit. quod vero monitus meos, non ut consultoris, sed ut doctoris atque magistri, et accipis et desideras, nescio qua maiore fuit an benignitate, qui tanto me
 30 nomine et honore digneris, an voluntate sciendi, qui vel ab indocto velis edoceri. vale, et me, ut vere sum ^(f), ita certo tuum crede.
 .x. kalendas augusti.

vuoi con la dottrina; ma, a differenza del volgo, fa, a tal riguardo, pochissima stima dei beni della fortuna.

Da ciò segue che la povertà non è ostacolo alla grandezza dell'animo, ch'è effetto di virtù, e quindi nemmeno all'amicizia.

E poiché la virtù è già nel desiderio d'essa; anch'egli spera di poterla conseguire.

Quanto all'amicizia loro, il reciproco rispetto, pur in disuguale fortuna, la conserverà eterna.

Coltivino entrambi le memorie del passato, ma sopra ogni cosa abbiano cara la virtù.

Accenna infine ai titoli, con cui l'amico l'onora,

e gli si professa sinceramente devoto.

(a) R cetera talium fortune (b) C applicant R applicantur (c) C om. enim

(d) C recognoscende (e) R est. tanti (f) R ut iure sum